

I
T plerumq; quod e; a; rursum
gant; mente; a; t; e; a; f; i; p; i; a; s; t; e; a; i;
lat; q; u; i; a; q; u; l; a; u; e; n; c; e; r; a; u; m; p;
p; e; n; s; o; t; e; a; s; e; d; i; m; u; l; l; u; n; i; c; e; a; d; i; l; i; n; u;
m; y; f; i; t; e; n; u; n; c; a; t; a; m; m; o; n; i; s; d; o; m; m; a; c; e;
-
u; e; p; o; m; u; n; d; h; u; u; s; a; c; h; o; n; b; d; e; d; i; n; u;
a; l; u; i; f; u; m; e; n; t; u; l; l; a; b; o; t; t; e; t; e; n; o; a; l; u; i;
l; a; t; u; m; l; u; c; t; i; n; h; a; t; a; t; e; .
C; u; a; e; n; u; m;
t; o; n; e; u; e; t; o; t; e; e; a; c; t; o; n; i; u; e; r; i; e; t; e;
u; n; m; o; d; e; t; a; n; e; n; c; i; m; b; e; r; e; .
n; r; e; c; e; p; e; n; s; e; .
-
n; e; f; i; a; l; .
L; u; n; l; l; a; t; e; e; l; .
n; r; e; c; e; p; e; n; s; e; .
-
V; u; d; e; d; i; c; t; u; t; y; A; t; u; m; e; c; l; e; c; e; r; e; s; a; b; e; c;
d; e; l; e; g; a; t; i; o; n; e; t; r; e; a; n; m; a; l; l; p; a; t; t; a; p; o; /
f; e; r; i; t; i; s; p; e; n; m; e; n; t; e; n; a; c; e; d; e; m; m; i; n; d; e;
-
l; a; t; t; i; u; a; d; f; i; t; t; a; t; i; o; n; e; h; u; n; s; p; r; e;

F E I S M U T S E I E R S F E P P

CONTINENTUR HIC VOLUMINI
DUXCANI INDEX! SCOTI

Disputationes,

Theses Logicae.

Propositio[n]es Astronomicae de Dierum et Annorum differentiis
De facultate vegetante.

De Philosophia ejusq[ue] Instrumentis.

In XI. Meteororum de Misericordia e Disp. I.

In XII. Meteororum de Concordia . . . Disp. II.

Disp. Pathologiarum, I. de Morbis.

II de Cais Morboru[m] in gre.

V.

VI.

II X.

Disp. posterior de Praesagijs

De Peste disp. prior.

De Natura et Facultatib[us] medicamentorum.

De Compositione et Preparatione medicamentorum.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib[us], Scarificatione

De Febris Naturae e disp. I.

De Febribus

II.

De Fibribus

III.

13.
DE PESTE,
DE QVE EIVS
NATVRA, CAVSIS, DIF-
FERENTIIS ET SIGNIS.
DISPVATATIO PRIOR.

Ad quam
D. O. M. A.
Sub præsidio

DVNCANI LIDDELII PHIL.
ET MED. DOCTORIS, ET IN ILLV-
stri Iulia professoris publici,
respondebit

GEORGIVS COCIVS FLENS-
burgensis Holsatus.

Habebitur disputatio Mense Octobri Anno 1598.



HELMSTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
1598.

AMPLISSIMIS, CLA=
RISSIMIS, PRUDENTISSIMIS
ATQVE ORNATISSIMIS VIRIS DN.
Marco Schröder primario Consuli: Dn. Har-
dero Baken: Dn. Ioanni Klöcker: Dn. Tho-
mæ Thor Schmeden: senatoribus inclutæ
Reip. Flensb.

DN. IOANNI HARTMANNO
Sereniss. Reginæ Daniæ quæstori: Dn. Thomæ Kellinghusen:
Dn. Dithmaro Här: Dn. Andreæ Oleffs: Dn: Henrico
Jacobs: affinibus & eiusdem Reip. ciuibus
spectatissimis Dominis & Mecænati-
bus suis reuerenter co-
lendis.

submissè

dedicar & offerre

Georgius Cocius. Respondens.

DE



DE PESTE, EI VSQ VE NATVRA, caussis, differentiis & signis, &c.

I.

Hippocrates 1. Epid. morbos, qui uno tempore multos inuadunt, in Pandemios & Sporades diuidit. Sunt autem Pandemii, qui simili modo uno tempore multos inuadunt, siue morbi generis eiusdem, qui in una vel pluribus regionibus eodem tempore grassantur, & à communis caussâ orum habent. Sporades verò sunt morbi diuersorum generum, qui dissimili modo sparsim & separatis vagantur & particularem caussam habent. Deinde Pandemi in Endemios & Epidemios diuiduntur. Sunt autem Endemii latinis morbi vernaculi & Patrii, qui uno in loco vel regione semper aut plerumq; vagantur, & illius loci virtus potissimum eueniunt. Epidemii vero lazini, morbi populares, qui in una aut compluribus regionibus sauiunt.

2. Ex Epidemis autem alii contagiosi simul & perniciosi sunt, & magnam ægrotantium partem perdunt: alii perniciosi non sunt, sed ab iis pleriq; ægrotantium liberantur: qualis fuit morbus Epidemius anni 1580. hi simpliciter Epidemii vocantur illi propriè morbi pestilentes aut pestes. Communiter & ad horum similitudinem nonnulli Sporades, qui similem pesti labem adferunt, Pestilentes appellantur, licet publicè non grassentur, nec contagio serpant: quales sunt febres, quæ ob insignem malignitatem ab omnibus pestilentes vocantur. Præterea vocabulum pestis pro aëris pestienti constitutione interdum sumitur à Galeno & Hippocrate &c.

A 2

3. In

Duo re-
quisita pe-
stis. 3. In peste propriè dictâ duo potissimum requiruntur, primò, ut
contagiosa sit & plures eodem tempore inuadat aut inuadere queat.
Nam necesse est, ut actu pluribus sit communis: deinde ut à venena-
tâ seu perniciosa qualitate ortum habeat & magnam agrotantium
partem perdat.

4. Verum, auctore Galeno 3. Epid. 3. pestis peculiaris morbi spe-
cies non est, ut febris aut inflammatio; sed propriè omnis morbus,
multos eodem tempore inuadens: unde Hali pestem definiuit mor-
bum multiplicem, pluribus eodem tempore communem: Multiplex
enim dicitur, quia ex diuersis pluribusq; morbis. Nam ut pluri-
mum in peste sunt febres pestilentiales, carbunculi, bubones, exan-
themata, ecthemata: interdum Anginæ, grauedines anhelosæ, ca-
sharri suffocantes, paraplegia, ut in Thaso 1. Epid. flagrantes ar-
dores: sudorifera febris, qualis sudor anglicus 1539. Colica tempore
Pauli AEginetæ; dysenteria hoc tempore & superioribus annis,
aliq; morbi, quatenus contagiosi sunt & à perniciosa qualitate.

Quid pe-
stis. 5. Quare definiri pestis poterit, morbus Epidemius, acutus ma-
ximeq; contagious cum febri continua plerumq; coniunctus ma-
gnam agrotantium partem interficiens, ortus à venenata qualita-
te, natura nostræ inimicâ, cor potissimum lœdente.

6. Dico plerumq; cum febre, ut ipsa febris pestilentialis à peste
distinguatur: deinde quod sine febre pestis interdum esse queat, ut
manifestè restatur Hipp. 3. Epid. Contextu 25. 28. ss. & alibi:
Item, Galenus 9. simpl. cap. de bolo & alibi: vel quia purredo vene-
nata exteriores partes afficit & cordi non communicatur: vel quia
sine purredine tanta adeſt humorum corruptio, tantusq; apparatus
morbosus, ut venenatam labem facilimè concipient: vel, quemad-
modum septica sine febre & purrido calore partem corrumpat, ita
pestilens qualitas ipsum cor; vel quia veneno prius iugulantur agri
quam tempus & locus detur purrefactioni & febri.

Causa pe-
stis. 7. Oritur autem febris pestilens, quia humores venenata
qualitate infecti purescunt, quod plerumq; in peste fit, quod humo-

res

res venenatâ qualitate inquinari à naturâ non regantur. Quare erit febris pestilens, febris continua acuta & perniciosa, à putredine rei venenatae, cor vehementer ledente.

8. Immediata enim causa pestilentialis febris, est rei venenatae putredo: quæ alio nomine à Gal. vehemens & extrema putredo dicitur. Nam febris pestilens non tantum calore putrido cor afficit, ut febris putrida, sed etiam qualitate malignâ & venenatâ. At proxima ipsius pestis causa, sunt humores venenatâ qualitate affecti & inquinati, siue secundum substantiam corrupti. Praecedit enim tempore febri pestilentiali siue putredinem hæc corruptio & inquinatio, & ex putredine maligna qualitas vehementius concitatur & promovet ut perniciosior euadat. Et licet ex putredine talis corruptio interdum oriatur. Putredo tamen quæ corruptionem precedit febrem pestilentialem non producit, sed simpliciter putridam: Veluti si ex prauâ victus ratione putrefiant humores, febris non pestilens sed putrida excitatur: At si ex putredine, humor venenatam aliquam qualitatem acquirat & ea putredoperseueret, vel non accederet, oritur febris maligna, quæ communiter pestilens dicitur, ut supra dictum est.

9. Maligna & venenata qualitas, unde pestis, à putredine propriè non oritur, cum in vehementissimâ peste interdum exiguae nocte putredinis in excrementis appareant: sed putredo illa maligna & venenata ex venenata subiecti putrescentis qualitate concitatur, quod validitas & velocitas agendi indicat. Nam, ut ex putridi contactu putridum efficiatur, tempus requiritur, quo alteratio mutua actione & passione per primas qualitates perficiatur. At pestis unicâ inspiratione & unico contactu subito concitatur, aut agri ex contagio subito inficiuntur. Quare qualitas maligna à putredine aut qualitatum primarum actione non erit, sed à rotâ substantiâ. Nam quod à rotâ substantiâ, cum in actum deducta est subito & valide agere potest.

10. Hæret autem pestilens & venenata qualitas in corpore re-
nuissimo & spirituoso, ut in proprio subiecto, quod ob id semina-
rium pestis dici solet: corpus vero quod suscipit hoc seminarium &
nihil ab eo patitur, fomes pestis vocatur, ut infra latius dicetur.
Dicopestis seminarium seu caussam esse rem venenatam, non quia
secundum substantiam suam actu venenum est, sic omnes afficeret:
sed quia ea facultate prædicta est, ut in disposito corpore in naturam
veneni transeat.

*Causa su-
pernaturus
ralis.* 11. Causa prima pestis aliquando supernaturalis tantum est:
& immediatè non accendentibus causis secundis, à D E O pestis non-
nunquam immittitur, propter delicta nostra: qualis fuit illa qua De-
us populum Israeliticum sub Davide percussit. Deinde compertum
est pestem aliquando fuisse, cuius caussam satis sufficientem nec
medici in inferioribus corporibus, nec astronomi in cælo adferre
potuerunt. Quare inter Ethnicos non pauci pestilentium morbo-
rum caussam ad Deum retulerunt, cum non satis evidentes caussas
in naturâ inuenirent, & communibus remediis malum ipsum raro
cedere longo usu experii essent. Præterea Hippocrates i. Prognost.
diuinum quiddam in morbis esse dicit: & 4. de morbis, divinam
quandam morborum causam statuit.

*Causam
naturalis.* 12. Plerumq; medianibus secundis causis pestis oritur. Nam
excitatur corruptio & venenata qualitas, ex corruptione eorum
qua ad conservationem corporis nostri maximè necessaria viden-
tur. Talia potissimum sunt aër & alimenta. Quæ si temperamen-
to & substantiâ nobis similia & familiaria fuerint, sanitatem con-
seruant: Sin contraria in qualitatibus manifestis vel secundum
substantiam corrupta, pro modo recessus sanitatem immu-
tant.

Alimenta. 13. Ac primùm debet alimentum in substantiâ & tempera-
mento ei simile esse, cuius est alimentum. Verum cum naturæ ani-
mantium dissimiles sint, sic, vt. quod uni animantium generi sis
alimentum, in non sit. Prodrium enim alimenti est ut à cor-
pore

pore animato alteretur & in substantiam nutriti transmutetur: medicamentum vero ut corpus alteret, non corrumpat: at veneni, ut substantiam corporis corrumpat, & calorem natum euerat. Quare alimentum, si a sua natura recedat, & in substantiam corporis non transmutetur naturam medicamenti vel veneni acquirit; medicamenti, si tantum dissimilem naturam in qualitatibus primis & secundis acquirat; in veneni, si contrarium abeat, siue substantiam corporis corrumpat: Veluti vinum corporis nostri alimentum, si labem contrahat alimentum esse desinit, & vel medicamenti naturam assumit scilicet si temperamentum mutet & acidum euadat; vel veneni, si corrumpatur, quod accidere solet, si vappa fiat.

14. Eadem ratio in ceteris alimentis ex irinsecus sumptis locum habet. Nam compertum est uniuersos exercitus morbo corruptos fuisse usu aquae corruptae, aut frumenti semipuridi: Item, post famem pestem securam esse: quod in annonae caritare populus coactus fuerit cibis corruptis aut prauis vesci. Sub hoc genere referuntur carnes putrefactae, aut animalium, quae vi morbi alicuius mortuas sunt: Item, aquae corruptae & in quibus stirpes virosae iniectae sunt, ut canabis, brassica i satis &c.

15. Similis ratio est in internis siue propriè dictis alimentis scilicet in humoribus & humiditatibus. Nam sèpè humores viiles à naturali temperamento recedunt: aliquando humor aliquis corruptiōnem tantam acquirit, ut natura nostra planè contrarius euadas & vim ac efficaciam lethalium venenorū suscipiat. Quod euidenter apparet ex corruptione sanguinis effusi extra venas, concreti in grumos: Item, ex Epilepsia à digito pedis; ex conuulsione rotius corporis ab ore ventriculi: ex suffocatione veteri & similibus morbis, unde seu symptomata & interdum subita mors. Verum ut in morsu canis rabidi virus per menses aliquot intra corpus non nunquam latet, ita in his corruptis humoribus euenit. Nam in corpore non statim nec semper causa morbificæ actu vim suam exercent.

runt, sed interdum intra corpus longo tempore latent, sensimq; ma-
lè tantum disponunt, tandemq; in actum erumpunt concitate à
causâ aliquâ extrinseca.

Aér.

16. Quæ ratio est in alimentis, eadem in aëre nos ambiente, sine
quo viuere & calorem cordis tueri conseruareq; non licet. Nam aér
dum calorem cordis tuerit, temperamento & naturâ nobis famili-
aris est. At si minimè familiaris euadat, sc. in temperamento
immutatus sit, aut in substantiâ corruptus, sive venenata qualita-
te inquinatus, pro modo immutationis primùm spiritus, deinde hu-
mores, tandem substantiam corporis afficit.

17. Corrumptur sive venenata qualitate inquinatur aér, dupli-
citer, vel à superioribus causis vel ab inferioribus: à superioribus
sc. à cœlestium corporum motu, lumine & influentiâ, ex variis
aspectibus; quod duobus modis fieri potest, vel per medium putredinem
& alterationem in primis qualitatibus, vel citra ullam ralem
satis evidentem in manifestis qualitatibus alterationem.

18. Citra alterationem & putredinem aliquam manifestam,
corruptum fuisse aérem ostendunt pestes diurnæ, quæ mediâ hye-
me gravissimè saeuerunt, quas nulla in manifestis qualitatibus aëris
alteratio præcessit. Nam putrefactionis motus in aëre corpore te-
nuissimo per integrum annum protrahi nequit, præcipue tempore
frigidissimo. Hac caussâ sub illo diuino in morbis comprehenditur,
curus meminit Hippocrates; quod in aëre quidem est, sed à cœlo &
minus manifestis causis producitur. Corrumptur quoq; aér à caus-
sis inferioribus per medium putredinem & alterationem in primis
qualitatibus, potissimum verò ex dispositione aëris calidâ & humi-
dâ cuius ratione fit ut regiones & loca conclusa palustria ma-
gis obnoxia pesti sint, quam loca frigida, siccâ montosa & si-
milia.

19. Caussæ superiores sunt maligni siderum positus; veluti in-
fausti aspectus Saturni, Maris, & Iouis in signis humanis potissi-
mum, maligni luminarium defectus, cometa, potissimum in ortum
vergens

vergens insolita meteora, fulgura terri odoris: Item, annus magna ex parte austrinus & pluuiosus sine ventis: alienæ temporum constitutiones, ut hyems austrina, humida, levis; Ver inæqualis aut. constitutionis autumnalis: aestas austrina, silens sine etesiis. Præterea eodem tempore inæqualitas caloris & frigoris: aër nubilus & serenus: venti austri aut ex locis maligna qualitate inquinatis, aut expeste infectis.

20. Ab inferioribus verò causis inquinatur aër ex vaporibus fætidiis corruptis exhalantibus ex terrâ vel aquis, nimirum ex stagnis vel lacubus, & speluncis aut terra cœuernis & fissuris proper terramotus: ex cœde hominum in bello: ex cadaveribus animantium: ex sordibus mechanicorum & coriariorum: ex sepulchrorum, ubi seminarium pestis resideret aut latrinarum subterranearum apertione, & similibus. Ab his omnibus morbi venenari gignuntur.

21. Verum morborum communium, ut dictum est, cauſa aliqua communis est: Sporadicorum cauſa aliqua propria. Cauſa augem communis est aër corruptus ex influentia cœlestium corporum, deinde ab inferioribus causis; Minus communis à prava victus ratione. Proinde pestis, ut à veteribus describitur morbus pluribus locis communis, præcipue erit ab aëre inquinato, maligno syderum influxu: minus communis ex inferioribus causis. Ex praua victus ratione per se primò pestis non oritur, sed febris pestilens prauata, quæ propriè maligna dici debet.

22. Plerumq; hæ omnes cauſe permiscentur, graviorq; pestilenzia oritur. Verum ubi pestis pluribus regionibus communis est unica verè efficiens cauſa esse videretur, aër inquinatus à causis superioribus. Nam ea cauſa maximè communis est. Corruſio verò aëris ab inferioribus causis, & praua victus ratio, magis preparatoria sunt, & corpora propriè disponunt ad pestem suscipiendam. Nam præter morbosum corporis apparatus in peste, requiritur pecunia

liare inquinamentum, quo aëris affectus eius malum principium praestet.

23. Particulatim tres pestis causae assignari possunt: 1. aëris maligna qualitate inquinatus: 2. contagium: 3. corrupta vietus ratio. Contagium autem veteres sub aëre comprehensi sunt, quia mediante aëre, aut quod aëris rationem habet, ut sunt aura, vapor, spiritus venenatus aut morbosa evaporation, contagium proxime communicatur. Nam, ut supra dictum est, pestilens qualitas & seminarium pestis, vehiculo non caret: nihilominus aëris vitium, à contagio distinguitur.

Contagium

24. Est autem contagium motus quidem, procedens ab uno in aliud; & proprie communicatio similis morbi facta à corpore in corpus aut contactus duorum ad minimum; cuius merito unius in alterum gignitur effectus. Requiruntur enim in contagio ut in motu quatuor: 1. quod communicatur: 2 quod communica: 3. cui communicatur: 4. per quod communicatur.

25. Oportet primum in contagio esse aliquem, qui vitium suum alteri communicat: dein cui simile communicatur. Nisi enim plures eodem morbo teneantur, nemo ex contagio laborare dicitur. Communicatur quidem morbus non per se, sed mediante causa. Nam primò communicatur, quod causa rationem habet, unde sequitur similis effectus. Verum ut causa illa communicetur, similisq; morbus consequatur, requiritur primum dominium agentis supra patientis, deinde patientis preparatio & aptitudo; tertio debitum tempus, quo simul corpora agere & pari ad inuicem queant. Nulla enim causarum sine patientis aptitudine agit; nec quocunq; tempore, aut etiam sub quacunq; magnitudine. Verum sub patientis aptitudine comprehendimus hic non solum corporum & humorum prauam dispositionem, siue morbosum apparatus, sed etiam occultam naturæ proprietatem. Nam corpora siccata, compacta, benè constituta & quæ superfluitatibus carent minus apta sunt: contra apissima putantur corpora calida.

tida, humida, laxa, rarioris exturæ: qualia sunt puerorum, virginum, grauidarum &c. Item corpora referta vitiosis humoribus & lubricis obnoxia &c. Præterea quæ per iurbationibus agitantur & veneri nimis operam dederunt.

26. Verum quemadmodum à naturæ proprietate psylli à venenis non fuerunt læsi: ita ex naturæ proprietate, quidam à peste planè immunes sunt, licet cum peste infectis perpetuò viuant: alijs licet bene constituti, ex contagione tamen facilimè inficiuntur: quod euenit ob peculiarem naturæ proprietatem & similitudinem quam habent corpora, quibus contagium communicatur ad illa quæ communicant. Nam communicatio siue receptio per similitudinem fit: ac ob similitudinem sèpè videmus integras familias contagio perire; ob dissimilitudinem raro beluas ab hominibus infici; Item, in peste beluarum raro homines affici. Deinde ob diuersitatem quoq; inquinamentorum & conuenientiam vel disconuenientiam cum alijs atq; alijs naturis ipse etiam pestes differunt. Nam plerumq; pestis pueros, virgines, prægnantes & similes maximè inuadit. At quæ tempore Gentilis seu yre viros robustos potissimum sustulit. Item, ex hac inquinamentorum analogiâ aliae pestes sunt hominum, aliæ suum, aliæ ouium &c. Ut enim omnibus idem alimentum non est, ita nec venenum.

27. Contagium dupliciter communicatur, aut immediatè, dum inter corpus communicans & quod communicatur nullum medium intercedit, præter euaporationē putridam & inquinamenta, sed vel accubatione vel contractione se se proximè tangunt. Aut mediataè, dū per intermedium aliquod corpus ab uno homine in alterū transferuntur inquinamenta. Tale intermedium corpus est, vel aëris, vel corpus solidum, porosum, laxum, quod inquinamenta ab uno recipit, deinde alteri communicat. Hoc corpus somes pestis vocatur, ut supra dictum est. Nam qui peste inficiuntur, aërem attractum primum inquinant: deinde corruptum exspirant: à quo inspirato, alijs promptissimè inficiuntur. Quare periculosisimum est cum ijs versari,

fari, qui peste laborant, aut in ipsisdem aut vicinis locis degere. Nam mediante aere seminarium pestis longe lateque disseminatur & teste Thucidide λοιμώδη μάσματα ex Aethiopia in Graeciam aduenerunt. Mediante fomite scilicet vestibus, stragulis & similibus pestis inquinamentum pluribus communicatur & longe lateque disseminatur.

27. Quae communicantur ab Hippocrate μάσματα λοιμώδη scil. pestis inquinamenta siue seminaria vocantur. Est autem inquinamentum vapor, aura, aut spiritus venenatus a corpore affecto promanans. cito facileque penetrans, prompteque fomiti adhaerens & corpora disposita interficiens. Promptè quidem fomiti adhaerent inquinamenta, sed non ita facilè & cito remouentur; nisi fomes diuersificetur, igne purgetur, aut frigore mulium alteretur. Nam sè reseruata in vestibus inquinamenta post mulium temporis nouam ingeq; grauiorem pestem induxerunt.

28. Hæc pestis caussa in principio communis non est, nec actus Endemia: nam paucos inuadit: dein ob diligentiam & prudentiam magistratus, prohibentis commercia cum infectis sepè impeditur: tamen si non resistatur & paulatim serpendo progrediatur, aërem corruptit, & ex una domo communis torri urbi, deinde pluribus regionibus euadere solet. Hoc modo plerunque pestis oritur, & rarissimè à communi aëris vicio primo, sine ullo contagio disseminatur.

29. Præter pestem alijs quoque morbi, qui morbificas evaporationes exspirant, vi phthisis, lepra, scabies, ophthalmia, &c. contagiosi sunt: à quibus natura sua & vehementia differt. Nam pestis omnium morborum maximè contagiosa simul & lethalis est. Et licet non nulli morbi venenata qualitate ex succorum corruptione (vt febres malignæ) non alizer quam vera pestis hominem interimant: quia tamen seminaria sua ab extra alijs non semper communicant & contagiosi non sunt, pestes propriè non dicuntur. Nam pestis ex aëris contagio sit præmissa analogia ad humores: malignæ febres, quæ non adeò contagiosæ sunt ex corporum morbo apparetu proficiscuntur,

sur, licet ab aëre suum nascantur principium, ut in variolis, morbillis & similibus morbis apparet. Præterea ex contagiosis morbis in initio nonnulli aliquando Epidemij tantum apparent, & non multos ægrotantium perdunt, post pestilentes euadunt, ubi malignitatem acquisuerunt. Hi morbi licet ex aëre primum proficiantur, attamen dum alios atq; alios inuadunt, paulatim à natura & prauâ ægrotantium constitutione certam malignitatem acquirunt, ut eiusdem generis animalia facilius perdant. Præterea morbus in initio aliquando pestilens non est, sed accedente contagio aut aëris prauâ qualitate pestilens efficitur.

30. Ex his omnibus apparet, quod prima occasio pestis ab aëre sit, & quod plerumq; ex aëris inspiratione pestis oriatur, ob eos, qui in corpore sunt, humores ad putrefendum aptos. Vbi enim humores venenata qualitate inquinati fuerint necessario putrescant, & febrem pestilentiam gignant. Corrumptuntur autem humores ex alimentis corruptis, ut supra dictum est: Item, ob plerorū, Cacochymicam, obstructionem, prohibitam transpirationem, nimiam venerem &c. corpora oportuna pesti fiunt, & humores pernicioſā qualitate primum inquinantur, deinde putrescant unde febris pestilentialis.

31. Febris pestilens, quia sedem putredinis intra vasa potissimum habet, continua semper est, licet eam frequentes rigores comitentur ab acribus vaporibus delatis per partes sentientes: unde nunc quotidianæ, nunc tertiane typum referre & intermissiones quasdam habere aliquando videtur: Præterea pestilens febris nulli generi putridarum continuarum propriè astricta est, licet ratione subiecti, ubi sedes est putredinis, ad eas referatur.

32. Fomes autem siue sedes putredinis aut putrescentium humorum in omni peste non necessariò est cor, sed aliæ partes interdum. Nam licet omnia venena, quatenus venena, & pestilens qualitas cor tēdat, non tamen ipsum cor primò petunt: sed quedam primò aliam partem, deinde Cor. Quare in pestilente febre sufficere

videatur fomitem putredinis plerumq; in corde esse, aliquando in aliâ parte, à quâ promptè cordi communicatur. In corde autem sedes putredinis duobus modis potissimum esse dicitur. Primo ubi cordis humiditates corrumpuntur; secundo ubi humores contenti in ventriculis. Vbi autem humiditates in substantia cordis pucrescunt febris hectica pestilens omnium pessima oritur, quæ sola raro est sine humorū putredine. Vbi humores contenti in ventriculis cordis vel viciis partibus pucrescunt, febris putrida continua: quæ pro humorum pucrecentium ratione varia est, quod symptomatum diuersitas ostendit. Pestis vero Ephemera ex spirituum putredine propriè non datur: nec sudor Anglicus Ephemera dici debet, licet ad unum dicim aut paullo amplius perduret, cum Ephemera sauvissimis symptomatibus careat & lethalis non sit.

Differen-
tia pestis.

I. De feb.
cap. 5.

33. Ex his iam dictis differentiae pestis intelliguntur. Differentiae enim pestis sumi possunt, vel à causis, vel à subiecto, vel à magnitudine scil. intentione & remissione, vel ab accidentibus consequentibus. Primarie efficientes caussæ in peste sunt, aëris corruptus, & contagium: caussæ preparatorie magis sunt alimenta corrupta & corporis morbosus apparatus; quæ non per se caussa pestis sunt, sed sumptuâ occasione ab aëre, & contagio ut dictum est. Nam auctore Galeno magna ex parte pestis oritur ex inspiratione aëris corrupti; deinde subiungit: fit interdum ob eos, qui in corpore succos, ad pucreendum idoneos, cum breuem occasionem ab aëre ad febris originem conceperit animal. Fit quoque non raro sumptuâ occasione à contagio: & plerumq; in his regionibus frigidioribus pestis contagio serpit & aëris corruptitur ex inquinamentis ærorum. Sed hæ pestes magis particulares sunt. Vbi vero pestis magis universalis est, aëris in se vitium contrahit, ut dictum est, sed totus simul & semel non inquinatur. Et proinde pestes universales, ubiq; eodem modo & tempore non grassantur: quia aëris vires cœlestium diuersimode recipit.

Quali-

34. Qualitas illa pestilens non semper uno modo in omni peste se habet. Nam aliquando vehemens est, & adeo intensa, ut corpora leniter disposita facile infestet & perdat: nonnunquam lenis & adeo remissa, ut magnum corporis apparatum & apertitudinem requirat: interdum medio modo se habet. Vnde pestis alia gravis & intensa, quae multos inuadit, eosq; penè omnes, paucissimis exceptis perdit: qualis Athenis, teste Thucidide fuit, in bello Peloponesiaco; Romæ sub Commodo in toto orbe, terrarū Anno Christi 1335. quā diuidia penè mortalium pars periit. In eiusmodi pestibus compertum est sèpè ex 100. agrotantibus vix unum aut alterum seruatum fuisse. Alia pestis lenis & remissa est: que plures inuadit, quā perdit, & adeo paucos interficit, ut à simplici Epidemio morbo parvum differat. quedam media est, que nec vehementer sequit, nec quoquis promiscuè inuadit, nec penè omnes agrotantes perdit; sed ex 100. aliquando 10. 12. 20. aut plures restituuntur. Eiusmodi pestis plerumq; grassatur. Verum omni tempore omnibusque in locis una eademq; pestis eodem modo se non habet: sed nunc intensionem, nunc remissionem suscipit: idque vel à cælo scilicet à malignâ aut benignâ syderum constitutione, vel à constitutione loci & apparatu morbo corporum ut infra potebit.

35. Deinde pestis plerumq; cum febre est: interdum sine febre, sed rarissimè, ut dictum est. Præterea febris illa licet intermittens non sit nec ulli generi continuarum proprie astricta; tamen ratione subjecti, ubi sedes putredinis, vel continua putrida est, vel Hætica, non autem propriè Ephemera, nisi in initio. Insuper febris ipsa plerumq; mitis & placida est, ubi exigua putredinis copia & plus venient: aliquando vehemens & ardens maxime in interioribus, ubi malignæ putredinis magna copia est; non raro interiora astuant, exteriora frigent.

36. Materia verò venenatio putredinis, vel sunt omnes humores, vel unus aliquis, ut sanguis, vel cholera, vel pectora, vel melancholia:
quod

quod ex symptomatum diuersitate colligitur, quae consequuntur naturam diuersorum humorum, & partium affectarum dispositionem. Nam pestem contraria symptomata plerumq; comitantur, sc. nunc delirium, inquietudo, vigilia; nunc sopor, stupiditas, oblio: plerumq; sitis maxima, aliquando nulla: Item plerumq; vomitus aut fluxus alui, bubones, antraces, exanthemata, aliq; pro imperio naturæ & motu ac qualitate humoris peccantis.

37. Terminatur pestis raro ad salutem, idq; cum manifesta excretione aut abscessu: plerumq; ad mortem cum sauis symptomatis: aliquando subito ad mortem sine ullo symptomate & signo.

signa.
38. Restat ut de signis nunc agamus: ac primum de iis, quæ futuram pestem: deinde quæ presentem demonstrant. Signa futurae pestis alia sumuntur à presentia caussarum, alia à preparatione corporis, quedam à mediis dispositionibus. A causis, primò sunt maligni syderum positus, cometa, annus magna ex parte austinus &c. Item, terra motus præ exhalationes ex cadaveribus & similibus ut supra dictum est. Coniecturam confirmans ranarum & reptilium, insectarum & eorum, quæ ex putredine oriuntur, proueniunt. Item, in corporibus variolæ morbilli, carbunculi, lumbri, febres pestichiales, morbi putridi, abortus frequentes &c.

39. Vbi verò aëris status iam pestilens est, adest contagium vagans; mures latibula sua, aues nidos refugiunt; caro aus pannis aëre expositus iusto cirkus putreficit: In plures codem tempore pestis serpit, sine conuersatione cum infectis: & qui per vicos ambulant, facilimè inficiuntur: aliqui in plateis repentiè corrunt, sine ullis signis in corpore. Præterea eodem tempore, excepta peste, alii morbi rarissimè apparēt: quod si apparuerint, pestis plerumq; se remittit. Nam quam diu aëris status pestilens durat, superflui humores, unde alij morbi, facilimè inficiuntur. Vbi aër à superioribus caussis inficitur, aues nidos & loca solita primùm refugiunt, milui, vultures & passeres cedunt: ubi verò à terra inquinatur, mures & insecta à latibulis suis ad montes & superiora configuntur.

40. Se-

40. Secundò ad suscipiendam pestem paratissimi iudicantur, qui prava victus ratione utuntur, & corruptos succos congefferunt: qui grauibus perturbationibus agitantur, & veneri nimis operam dederunt: qui corpora laxa, rara, putridis morbis obnoxia habent: qui lumbricis scarent, ac principalia membra imbecilliora obtinent.

41. In pestilente aëris statu, aut contagio iam vagante, corpus aliquod corruptionem & pestem primùm concipere denunciant mediae quædam dispositiones, scilicet color faciei mutatus, timor & maxsticia sine manifesta causâ: lassitudo spontanea, torpor, sensus inæqualitatis per totum corpus, prava insomnia, nausea, pruritus narium, crebra oscitatio & pandiculatio & similia.

42. Vbi verò corpus iam inquinatum est, & peste laborat, adeſt initio plerumq; horror, punctiones totius corporis tanquam ab aciculis: capitis & stomachi dolor & grauitas, totumque dorsum dolere videtur: crebra suspiria: naegdia lygia: frequentes vomitiones biliosæ, nigrae, aliquando puri sanguinis: excrementa alui corrupta: in alijs vigilia immodice, deliria, furor: in alijs magna in somnum propensio: Item, palpitationes cordis, magna inquietudo, oris amaritudo, lingua nigra, adusta: anhelitus fætidus: hypochondriorum tensio: vultus ferox aut varius, incertus, more ebriosorum: oculari rubentes: plerumq; suis insatiabilis & ardor interioribus: aliquando sitis nulla, idq; sine ratione: præterea maculae pustulæ per corpus, bubo aut anthrax. Crescente malo respiratio magna alta inæqualis fætida, dispnea: frequens animi defectio: sudor fætidus: frigus extremitatum, linguae tremor, conuulsio aliaq; gravissima symptomata, quibus sèpe insperata succedit mors.

43. Verum ex his signis nullam per se pathognomonicum pestis est citra aliorum complexum & considerationem, quod inexercitarios plerumq; fallere solet: Febrilis calor mitis est & ad tactum naturalis, præcipue in exterioribus, sed præter rationem & cum

C

sauis-

sæuisimis symptomatibus, scilicet pertinace dolore capitis, crebris vomitibus, cordis palpitationibus, syncope, &c. Præterea pulsus nunc magis naturalis, nunc minus quam cæterorum symptomatum ratio postular; similiter & urina. Quare ex pulsibus & urinâ nulla sanitas certa signa sumi possunt. Verum plerumq; pulsus initio, aliquando in progressu, sanorum similes sunt, aut paulò frequentiores & debiliores: diastole semper minor est, quam systole: at in progressu plerumq; languidiores, frequentiores, minores & inæquales reduntur, donec formicantes euadunt. Vbi verò venenata qualitas in substantiam corporis agit, & exigua est putredo in humoribus, urina similis sanorum est & nulla sensibilis febris, & tamen ægi ad mortem tendunt. At ubi humores putridi sunt, necessario sequitur immuratio in urina. Nam turbida, rubicunda, maleolens euadit: inter dum aquosa, biliosa, nigra, pinguis, quod lethale signum est.

44. Characterismus præcipius pestis, & signum maximè Paragonomonicum est contagium serpens & venenata qualitate cor lædens, ac præter expectationem furtim & latenter vite insidians. Nam ubi in loco aliquo morbus apparere incepit, qui subito & præter expectationem moriem infert, & qui cum ægris conuersantur simili morbi genere opprimuntur, eiusmodi morbus statim nobis suspectus esse debet. At si cum eo morbo, symptomata suprà dicta coniungantur, nihil dubitandum est pestem esse.

45. Prout cor ad venenum se habet, aut venenatam materiam à se expellit, symptomata oriuntur. Nam primùm ubi vires cordis tam debiles sunt, ut venenum aggredi nequeant, sed à veneno primo statim imperu superentur, ægris sine ullâ materiæ translacione aut symptomata subito moriuntur: ubi vero vires satis robustæ sunt ad venenum propellendum, sanitas nunc cum bubonibus, nunc cum antracibus, aut exanthematibus; aliquando cum manifestâ aliquâ excretione succedere solet. At si vires ad expulsionem ma-

teriæ

teriæ venenatae insurgant, deinde vincantur & in pugnâ deficiunt, agri cum materia translatione aut euacuatione aliqua moriuntur.

46. Symptomatum diuersitas pendet ab impetu naturæ & morbi, ac à conditione materiæ. Nam ubi cor in resistendo laborat, palpitationes, anxietates cordis, syncope, pulsus formicantes & similia oriuntur: ubi verò ad cerebrum humor aut vapor frigidus propellitur, sopor, stupor, obliuio excitatur: ubi materia acris, vigilia, deliria, inquietudines. Ubi materia ad nares defertur, haemorrhagiae, stillæ sanguinis: ubi ad os ventriculi, quod plerumque fieri solet ob consensum cordis & orificii ventriculi, inappetentia, nausea, vomitus: si ad aluum, dysenteriæ, fluxus syntacticus: præterea ubi ad cutem parresq; externas expelluntur humores crassi, minusque mordaces, bubones excitantur: ubi crassi adusti, mordaces acres carbunculi, pustulae: ubi materia, tenuis maculae.

47. Expellunt autem partes principales noxiæ materiam plerumq; ad sua emunctoria, scilicet ad adenæ: ita materia à cerebro ad glandulas post aures plerumq; transmittitur, unde parotides; à corde ad alas: à iecore ad inguina, unde bubones, interdum pustulae. Nam natura ad exteriora potissimum fertur. Cum autem natura totam materiam morbificam ad cutim maculis & pustulis transferre, aut aliter euacuare nequeat, oriuntur bubones & carbunculi ex portione materiæ crassiori coaceruata in parte aliqua. Verū carbunculi & bubones non omnes à peste, sed aliqui sine contagio, virtio tantum humorum; alijs pestilentis ex infectione, à robore facultatis expulericis, materiam corruptam transmittentis in partem aliquam.

48. Est autem bubo pestilens, inflammatio pestifera glandularum partium, orta ex materia corruptâ, crassa, minusque acris. Initio autem dum generatur bubo, funiculi, aut nerui indurati sensum refert cum dolore pungente, deinde sensim augetur & materia velut in glandulam colligitur. In alijs

C 2 parti-

partibus carbunculus magis oritur ex materia crassâ, adustâ, acri, feruenti. Est autem Carbunculus tumor feruentissimus grauissimusq; cum ulcere escharotico ex sanguine crasso, adusto acri feruente partem aliquam occupante, eamq; adurente. Ex adustione enim crusta nigra oritur cum ulcere: ex infusione verò humoris, inflammatio feruentissima grauiter dolens, coloris nigri ad luteum vergentis cum splendore.

49. In principio Carbunculus vix grani milii aut pisi magnitudinem aequat: mox excrescit bubonum instar in rotundam acutam figuram, cum dolore ingenti, lacinante, pungente, vrente, potissimum noctu: præterea cum dolore infixo: unde à nonnullis clavis dicitur, quod dolorem clavo infixo similem inferat. Pars autem obfessa carbunculo, vehementissime grauatur tanquam à plumbo: in medio verò carbunculi plerumq; ingens pruritus. Oritur carbunculus aliquando sine pustula in medio: plerumq; cum pustula; quam si rescidias subiecta caro velut à carbone vestigata conspicitur: circumstans verò caro est coloris iridis cum splendore gemmæ carbunculi instar: unde à similitudine carbunculi nomen accepit.

50. Differunt autem carbunculi inter se plurimum: aliquando minus maligni sunt, & à naturâ vel arte facilè domantur: interdum prorsus maligni quando ulcere suo escharotico carnem erodunt & serpunt: aut quando pars amissa calore natiuo in gangrenam abit: Ulcus autem depascens ita aliquando exedit carnem ut viscerata penè appareant, & ossa nuda relinquantur: in gangrenam verò partem transisse signum est, si pars inflata colore viridem aut nigrum acquirat, & puncta non sentiatur. Ex inflammatione in his tumoribus communicationis ratione febris accendiuntur. Nam pars calefacta proximam calefacit, donec ad cor dispositio pertingat. Excitatur interdum febris ante inflammationem, quæ undcum alijs symptomatibus ab inflammatione postea augetur, aliquando cum inflammatione incipit febris, aut paullò post: rarissimè sine omni febre existit inflammatio.

51. Th-

51. Tumores autem isti, & exanthemata si criticè fuerint expulsa & rectè tractentur, ac materia vitiosa non retrocedat salutem afferre solent. Plerumque symptomaticè expelluntur & ad mortem terminantur: sëpe etiam retrocedunt & causa velocis mortis esse solent. Erumpunt autem maculae diuersæ magnitudinis & coloris non solum in aegris, sed etiam in ipsis mortuis: quod signum commemorarium pestis est; sicut teter odor exhalans à cadaveribus, ulcera terti odoris & coloris & similia.

52. An verò febris pestilens hectica an putrida sit, suis notis dignoscitur. Nam ubi febris pestilens putrida est; signa erunt sensus magni ferveris, præcipue in interioribus: maior perturbatio: vomitus, sitis: pulsus frequentiores: urina turbida: excrementorum fætor: bubones, carbunculi, pustulae, maculae. At si febris hectica sit, quæ omnium pessima; quia in habitu, æger calorem aut febrem non sentit: & quia vitium in succis non est, urina non turbatur, nec à naturali mutatur: præterea quod substantia cordis calidior, contenta frigidiora, pulsus sanorum similis plerumq; videntur aut debiliores tantum, licet aegri omnium primi pereant.

53. Pestis suâ naturâ morbus lethalis est: aliquando prognosticatus, aliquando peracutus. Nam aliqui subito aut intra 24. horas ^{ca.} moriuntur: aliqui tertio, quinto, interdum septimo, nono & undecimo die: nullus autem morbus, in quo magis infida sunt omnia. Nam interdum signis bonis apparentibus in urinâ, pulsu & exrementis, præter expectationem aegri subito moriuntur.

54. Perniciosum est in progressu morbi, si bubones, carbunculi aut exantematha nulla prodeant, aut ubi iam apparent deinde se subducant, aut non criticè sed symptomaticè erumpant, & æger deterius habeat: contrà bonum, si criticè erumpant boni, coloris sint, & aegri leuentur. Quo autem bubones & anthraces à corde longius consistunt, & quo citius in altum erumpunt & ad maturitatem perueniunt, eo semper melius. Verum cum impetu & de rapiente tumores augeri cum prauis symptomatis malum,

quia symptomaticè sunt, malum quoq; febrim & praua symptomata ante tumores & inflammationem oriri, quia anthrax & bubo superueniens febrim & symptomata augent, viresq; deicuntur. Carbunculus circa nervosas partes, & circa pectus, difficultis curationis: in partibus vero interioribus aut cum ulcere depascente lethalis. Bonum est vires robustas esse, & ad ea quæ offeruntur benè se habere. Lethalia sunt frequentes vomitus aut dejectiones variorum colorum vel sanguinis cum animi deliquijs: item, in exhausta siti aut planè nulla cum ingenti calore, singultus, sudor frigidus, faciei & oculorum color ad nigrum vergens, lingua tremula, conuulsio &c.

55. Durat pestis quādā diu pestilens aēris status & corporum preparatio: cessat plerumq; post brumam aut ubi alijs morbi apparent. Minus infestantur peste Elephantiaci, leprosi, qui lue gallicā laborant, aut fistulosa fluentia ulcera in corpore habent: item, qui peste prius laborarunt. Magis grassatur pestis initio Autumni & circa temporum mutationes sc. circa aequinoctium, nouilunium & plenilunium, sub praua cæli constitutione; noctu & aëre nebuloso. Luna decrescens laborantibus lethalis esse sollet. Plures enim Lunā crescente quādā decrescente restituuntur. In tenui aëre pestis citius penetrat & grassatur, ac velocius intermit; in crasso, calido humido diutius durat. De præservatione & curatione proximā disputatio.
ne, Deo auxiliante, agemus.



IN-

IN GRATIAM DN. GEORGII CO-
cii Holsati, amici & domestici
mei.



Væ modò supremis ruiturum cladibus or-
bem
Disiicit & vacuas victoria signa per urbes
Profert Morta ferox vastisq; triumphat in
agris
Quæq; adeò, heù, nostras tot luctibus implet
Athenas

Parua metu primò tenuiq; ab origine crescens
Motibilitate viget virusq; acquirit eundo.
Vnde genus dirum hoc & ineuitabile leti
Incumbat miseris mortalibus; an noua cœlo
Orta lues, vt syderij cum forsitan ignes
Iracundam aciem atq; oculos strinxere malignos;
Seu liquido assurgens labes cum putrida fumo
Inquinet & totum tractu corrumpat inane,
Hinc animæ cœco elidens spiracula veneno;
Aut etiam mala corporibus afficta propinquis
Protenus incautum perdant contagia vulgus;
Denique visceribusuè latens vis effera in imis
Adsciscet proprium virus, quod in intima pronum
Impete mortifero subito præcordia soluit;
Quærere dum satagis, Cacci, caussasq; latentes
Venari argutâ signorum indagine tentas,
Fretus & ingenio & magno præeunte Magistro,
Eià macte ausis ingentibus & tere durum

Per

Per salebras iter hoc & difficiles labyrinthos.
Sic tempus lucrare & edaces dilue curas,
Et vegetos firma nerois , mentisq; vigorem
Propitioq; tibi seruatum Numine robur.
Dùm sub Hyperboreâ tentat mihi cruda bilance
Viscera languentesq; exhausti corporis artus
Tabifer Autumnus, madidoq; allapsa cerebro
Solennes agit atq; auget pituita catarrhos
Pulmonesq; humore graueis & debile pectus
Tussis anhela quatit faucesq; angustat hiantes,
Pœoniisq; inuiti operis Cathedrâq; vacamus.

*Gassparus Arnoldi Philos. & Med. Doct. & Profess.
adludebam per morbi ocium.*



99 A 6903

(Nr. 24
richt
aufgerichtet)

ULB Halle
002 636 220



(9)

V077

TA-OL

erit ad suffocationem

Operari certe

qui in hunc nubem committit videntur

Ex parte operis. etiam Tunc teneat.

notificari non in
universitate in unius
ipsa facta est ad
cooperantibus in
unum oblationem.
Lobato dabo in
me loco ponti ambo in
nd ponte non invenimus
nisi oblationem cum
procedere. Lobsant
upr. iudicium pax. auctoritas
et auctoritate. in
dei propria. Hoc est
od. invenimus. a. lobsant
in. Lobsant oblationem
m. a. in oblationem. a. oblationem
lobsant. a. oblationem
oblationem. a. oblationem
lobsant. a. oblationem

Farbkarte #13

B.I.G.



13.
DE PESTE,
VE EIVS
, CAVSIS, DIF-
TIIS ET SIGNIS,
TATIO PRIOR.

Ad quam
D. O. M. A.
Sub præsidio

LIDDELII PHIL.
CTORIS, ET IN ILLV-
professoris publici,
respondebit

CO CIVS FLENS-
gensis Holsatus.

ratio Mense Octobri Anno 1598.



LMSTADII
acobus Lucius, Anno
1598.